

APPENDIX B

THE OFFICE FOR THE BENEDICTION OF HERMITS

(According to the Rule of St. Paul the first Hermit)

[Transcribed by Mr. F. C. Eeles from a sixteenth century Pontifical in his possession. It was written for Thomas, titular Bishop of Lydence, who was suffragan to Richard Fitz James, Bishop of London, in 1521, and afterwards to Cuthbert Tunstall.]

[Folio 68.]

Forma et ordo qualiter heremita a seculi vanitate cordialiter conuersus faciet professionem que ab episcopo vel eius commissario fieri potest quocunque celebri festo ad hoc ordinato. Primo episcopus ex more sacris vestibus indutus peragat missam vsque ad euangelium et interim dum Alleluia Tractus vel sequenc[ia] dicitur conuersus deuote veniens | in vestibus consuetis portansque scapulare et alia vestimenta [fo. 68v] professioni heremitice conueniencia super brachium sinistrum incedendo nudis pedibus vsque ad gradum altaris et ibidem nudato capite genuflectendo ea ponat ad pedes episcopi vel eius commissarij. Episcopo statim cum circumstantibus hunc. psalmum. alternatim premittentibus Miserere mei. | deus secundum magnam misericordiam tuam cum gloria patri et [fo. 69] sicut erat. Dicto psalmo episcopus sedendo alloquatur eum de proposito castitatis et examinando de obseruacione regulari eiusdem concensum publice requirendo Declaretque omnia alia que sibi videntur ad salutem anime illius esse oportuna Quibus secundum dei timorem completis legat conuersus professionem | suam vel episcopo ipsum docente dicat [fo. 69v] hoc modo episcopo in cathedra sedente vultu ad populum conuerso

Ego N non coniugatus promitto et voueo deo beate marie et omnibus sanctis in presencia reuerendi in christo patris et domini. N.N. episcopi propositum castitatis perpetue iuxta regulam beati pauli. In nomine patris et c[etera]

Deinde faciat signum crucis in fine professionis et tradat episcopo Tunc | dicat episcopus hanc oracionem super eum prostratum [fo. 70.]

Oremus

PRAESTA quesumus omnipotens deus huic famulo tuo . N. renuntianti seculi pompis gracie tue ianuas aperi qui despecto diabolo confugit sub titulo christi iube uenientem ad te sereno vultu suscipi ne de eo valeat inimicus triumphare tribue huic infatigabile brauium auxiliij tui mentem eius lorica fidei circumda vt/felici muro vallatus mundum se gaudeat euasisse. Per [fo. 70v.] dominum.

Oremus

DEUS qui filios israel in heremi solitudine manna ad pascendum celeste quadraginta annis manare fecisti quique vitam heremiticam tam per filium tuum quadraginta diebus et quadraginta noctibus prophetas et sanctos in heremo degentes tibi in heremo placere monstrasti concede propicius vt/famulus tuus . N. similem pro modulo suo eligens vitam sic in [fo. 71 proposito heremitice discipline mores suos mutet aptet et componat quatinus perseueranter proficiens ad huius vite perfeccionem attingere et ad gaudia perfectorum valeat peruenire. Per eundem

Sequitur benedictio vestium cum

[V.] Dominus vobiscum

R̄ Et cum [spiritu tuo].

Oremus

DEUS eternorum bonorum fidelissime promissor certissime /per- [fo. 71v. solutor qui vestimentum salutare et indumentum iocunditatis tuis fidelibus promissisti clemenciam tuam suppliciter exoramus vt hec indumenta humilitatem cordis et contemptum mundi significandus quibus famulus tuus sancto visibiliter est informandus proposito propicius benedicere digneris vt et castitatis habitum quem te inspirante suscepturus est te protegente custodiat et quem vestimen/tis venerande professionis induis perpetualiter beata [fo. 72 facias immortalitate vestiri Per dominum et c[etera]

DEUS bonarum virtutum dator et omnium benedictionum largus infusor exaudi preces nostras vt hanc vestem quam famulus tuus pro conseruande castitatis signo se ad cooperiendum exposcit benedicere et consecrare digneris ad laudem et gloriam nominis tui. per christum dominum nostrum R̄ Amen. / [fo. 72 v

Deinde aspergatur aqua benedicta et postea det ei habitum episcopus et dum induit dicat.

Exuat te dominus veterem hominem cum actibus suis et induat te nouum hominem qui quit secundum deum creatus est in iusticia et sanctitate veritatis R̄ Deo gracias

Deinde dicat ei episcopus si fuerit literatus vel in materna lingua

FRATER ecce dedimus tibi habitum heremiticum cum quo/monemus [fo. 73 te viuere caste sobrie et sancte in vigilijs in ieiunijs in laboribus in precibus in misericordie operibus et habeas vitam eternam et viuas in secula seculorum Amen

Cui conuersus . Respondit]. genuflectendo deuote sic.

Et ego reuerende pater in nomine domini nostri Ihesu christi illum recipio promittens me secundum posse michi a deo collatum uestrum preceptum fideliter seruaturum adiuuante dei gracia et sanctorum eius oracione benigna

Tunc sequantur benedictiones super eum prostratum cum [fo. 73v

Oremus.

FAMULUM tuum domine tue custodia muniat pietatis vt castitatis sancte propositum quod te inspirante suscepit te protegente semper illesum custodiat. Per dominum

Oremus

ADESTO domine supplicacionibus nostris ut hunc famulum tuum benedicere digneris cui in nomine sancto tuo habitum religionis/imponimus vt te largiente et deuotus in ecclesia persistere et vitam percipere meretur eternam. Per dominum

Deinde episcopus conuersus ad orientem dicat hunc ymnum.

Ueni creator spiritus. ut supra in benedictione vidue et dicatur vsque ad finem. deinde dicatur

Kyrieleyson

Christeleyson

Kyrieleyson

Pater noster

[V.] Et ne nos [inducas in temptationem].

[R̄.] Sed libera [nos a malo. Amen.]

[V.] Saluum fac/seruum tuum.

[fo. 74v

[R̄.] Deus meus sperantem in te.]

[V.] Mitte domine ei auxilium de sancto.

[R̄.] Et de syon tuere eum.]

[V.] Esto ei domine turris fortitudinis.

[R̄.] A facie inimici eius.]

[V.] Domine exaudi [oracionem meam].

[R̄.] Et clamor meus ad te veniat.]

[V.] Dominus vobiscum.

[R̄.] Et cum spiritu tuo.]

Oremus

ADESTO quesumus omnipotens deus famulo tuo de tua misericordia confidenti eumque tua proteccionem custodi vt a cunctis aduersitatibus liberatus benedictione eterna dignus inueniatur. Per christum dominum.

DEUS qui iustificas impium et non vis mortem peccatoris [fo. 75 maiestatem tuam supplices deprecamur vt famulum tuum . N. de tua misericordia confidentem celesti protegas benigno auxilio et assidua proteccionem conserues ut tibi iugiter famuletur et nullis temptationibus a te separatur. Per christum dominum

OMNIPOTENS sempiternus deus miserere famulo tuo et dirige eum secundum clemenciam tuam in viam salutis eterne vt te donante tibi [fo. 75v placita cupiat et tota virtute perficiat et omnipotens dominus te benedicat et gratiam bene viuendi tibi tribuat et ad vitam eternam perducat Per christum

Deinde benedicat eum episcopus genuflectentem sic dicendo

Benedicat te omnipotens deus pater et filius et spiritus sanctus.

Sed antequam recedat quia sub aliqua regula certa viuere minime debet coartari ideo ne ignorans ignoretur exponatur ei modus [fo. 76 viuendi cum eius obseruancia speciali. Primo iniungitur ei episcopus vt palam et publice dicat. oracionem. dominicam salutacionemque euangelicam et fidei simbolum quibus ab omnibus perfecte auditis det sibi episcopus in

mandatis quod pro qualibet hora diei statuat[a] ab ecclesia certum dicat | numerum orationum pro salute anime sue et omnium benefactorum [fo. 76v suorun deuote impetranda videlicet primo pro vesperis xx^a Pater noster cum totidem Aue maria pro completorio xiiij pater noster cum totidem Aue maria pro matutinis. xxx pater noster cum totidem Aue maria pro laudibus. xv pater noster cum totidem Aue maria pro hora prima xxiiij pater noster cum totidem Aue maria pro qualibet hora videlicet iij^a vij^a et ix^a xv pater noster cum [fo. 77 totidem Aue maria In ferialibus vero diebus dicet pro placebo. I. pater noster cum totidem Aue maria. pro dirige xxxiiij pater noster cum totidem Aue maria pro commendacione xxiiij pater noster cum totidem. Aue maria. zymbolum vere suum singulis diebus cum noctibus dicat xiiij vicibus et cotidie audiat missam Si vero fuerit literatus ita quod sciat | dicere horas beate [fo. 77v marie virginis cum vij psalmis et letania ac placebo et dirige pro defunctis. Extunc cum qualibet horarum illarum dicat ter Pater noster cum Aue maria et cum dimidio Nocturni. psalterij semel in die omnibus alijs pretermisiss. Et quia ociositas inimica est anime et ne diabolus eum inueniat ociosum suis labori manibus temporibus inter medijs circa victualia acquirenda aut vias et pontes firmiter construendas [fo. 78 In aduentu domini et in xl^a ac decem diebus ante pentecosten abstineat a carnibus vt in fine eorum communicetur confessione semper precedente In omnibus ferijs quartis piscibus vtatur vel lacticineis Et in feria sexta ieiunet pane et aqua nisi pro graui infirmitate aut nimio labore secum | dispensetur In sabbato ieiunabit solis contentu piscibus [fo. 78v. lineis vti non licebit exceptis femoralibus pedulis eciam cum sotularibus solum vti debet caligis semper omissis Et post habitum ex ordinacione episcopi sibi competentur datum in nomine domini recedat in pace.